

bus patet S. Thomam non alium sensum admisisse, quam illum quo enuntiatur complexum, ut homo esset Filius Dei.

XVI. Sed certe hoc non enervat vim argumenti, quia causalis S. Thomæ est vera, et necessaria. Est quidem vera, quia Filius Dei ab æterno est ipsa Persona Verbi, sed ipsa in tempore existens, vel subsistens in humana natura, etiam prout sic incipit esse Filius Dei, qua ab æterno non erat existens in humana natura, et ideo ab æterno non potuit incipere esse Filius Dei, nec secundum se, neque prout existens in humana natura, sed in tempore, quando incepit esse subsistens in humana natura prout sic subsistens incepit esse Filius Dei.

XVII. Ex quo patet, quod etiam est necessaria ista causalis S. Thomæ: Quia si non esset subsistens in humana natura, non posset Persona Verbi prædestinari Filius Dei, debet ergo præintelligi subsistens, et quia sic est subsistens intelligitur prædestinatus ut sit Filius Dei. Unde distinctus est sensus S. Thomæ ab illo, quem intelligit Lorca, quia in illo complexo Filius Dei factus est homo, prius intelligitur unio Personæ cum humanitate, et hoc unitum est prædestinatum, ut dictum est articulo præcedenti conclusione tertia sic unitum esse. Et hoc explicatur per ly Christus, vel ly homo, vel subsistens in natura humana; sed ultra hoc S. Thomas inquit, quod hic homo prædestinatur, ut sit Filius Dei. Pro quo est specialis locus in III, distinct. x, quæst. III, quæstiuncula prima ad primum, ut inquit: « Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad unionem. » Ecce ponitur a S. Thoma primus, et secundus effectus prædestinationis; ergo non solum facit sensum

intentum a Lorca, sed ulterius facit sensum a nobis explicatum.

XVIII. Præterea S. Thomas in III, distinct. VII, quæst. III, articulo primo ad primum inquit: « Dicendum, quod diversa consideratio nihil variat eorum, quæ sunt in re; variat autem ea, quæ pertinent ad actum animæ. Prædestinatus autem est participium, quod imponitur ab actu animæ, scilicet prævidere, vel præordinare, et ideo quamvis supposito æterno non conveniat secundum se prædestinari esse Filium Dei, convenit tamen sibi secundum quod est humanæ naturæ suppositum, » ubi quia prædestinatio est actus animæ, potest cadere sub illo quod jam est, scilicet secundum quod est humanæ naturæ suppositum, et ut sic prædestinari Filius Dei, sicut homo albus incipit cogitari quod sit homo. Et ibidem ad quintum: « Dicendum, quod licet homo non præintelligatur ad Filium Dei ratione suppositi, tamen præintelligitur ratione naturæ. »

XIX. In quibus verbis pro nunc solum expendo ad indagandam mentem S. Thomæ quomodo non potest esse sicut explicat Lorca, quia solvit ejus fundamentum quod etiam fuit Durandi, et ponit præcedentiam secundum rationem, et si esset sensus, quem intendit Lorca, scilicet: Prædestinatum est hominem esse Deum, non esset necessaria hæc distinctio rationis, nec S. Thomas negaret hanc propositionem: Filius Dei est prædestinatus, sicut illam sæpe sæpius negat.

XX. Sufficiat locus præcipuus allatus articulo præcedenti, scilicet in III, distinct. VII, quæst. III, art. II, quæstiuncula III, in corpore et ad primum, quia si sensus est iste: Prædestinatum est Filium Dei esse hominem, nulla inferioritas, nec posterioritas ponitur in Filio Dei, et sic propter hoc non deberet negari,

sicut negatur a S. Thoma loco citato. Imo istum sensum impugnavit sanctus doctor hic articulo primo ad secundum dicens: « Nisi forte quis velit sic exponere extorta expositione, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, id est, prædestinatum est, ut humana natura uniretur Filio Dei in Persona. » Et iste est sensus intentus a Lorca, in quo scilicet denotatur complexum, et prædestinatio cadit supra totum complexum, dicendo, prædestinatum est hoc complexum Deum esse hominem, vel humanitatem uniri Filio Dei, quod dicitur a S. Thoma extorta expositio verborum Apostoli.

XXI. Et S. Augustinus expresse etiam habet hanc sententiam, in primis de prædestinatione sanctorum, capite XV allatus a S. Thoma hic art. I ad tertium: « Prædestinatus est Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset Filius Dei in virtute. » Ecce prædestinatus est Jesus, ut esset Filius Dei. Et in eodem capite inquit: « Ipsum donum gloriæ qui in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse dicimus. » Quæ etiam adducuntur a S. Thoma hic articulo secundo, argumento Sed contra. Et superius ad hæc verba in eodem capite inquit: « Homo ille prædestinatus est, ut in unitatem Personæ assumptus esset unigenitus Filius Dei. » In quibus verbis ponitur, quod ille assumptus in unitatem Personæ prædestinatus est, ut esset Filius Dei.

XXII. Respondet Lorca membro III, numero XXVII, quod licet Augustinus concesserit propositionem illam, non fuisse sollicitum de rigore, et proprietate enuntiationis, quia indifferenter loquitur de prædestinatione naturæ, et de prædestinatione hominis Christi, et nunc humanitatem, nunc hominem prædestinatum dicit, et in tantum dicit

prædestinatum, in quantum homo factus est Dei Filius.

XXIII. Sed hæc solutio omnino rejicienda est, quia ex hoc quod concedatur humanitas prædestinata, et etiam homo prædestinatus, solum sequitur, quod Augustinus utrumque teneat, et hoc non est inconveniens. Nos etiam utrumque tenemus, quia utrumque est S. Augustini et S. Thomæ, unum in articulo præcedenti, conclusione, et aliud hic; et hoc male addit, quod auctoritas Augustini non confirmat nostram sententiam, et quod S. Augustinus dicat illam causalem: Quia factus est homo, non obest, sed potius juvat, ut etiam diximus de S. Thoma.

XXIV. Et etiam falso asserit Vazquez disput. XC, cap. III, numer. XXX, quod ex Augustino non potest hæc sententia probari, et adducit aliqua testimonia, ex quibus inquit non posse probari, et nullum ex istis tribus adductis a S. Thoma hic articulo primus adducit, et quæ ipse adducit, non adducuntur a sancto doctore et quæ adducuntur a S. Thoma debebat ipse adducere, et solvere.

XXV. Probatur ratione primo: Prædestinatio Christi est exemplar prædestinationis nostræ; sed prædestinatio nostra est propria; ergo et Christi prædestinatio. Major est S. Thomæ hic art. III in corpore, et admittitur a Lorca supra quæst. I, disp. X, membro II, numer. XXII; minor ab omnibus admittitur. Consequentia vero probatur: Nulla ratio communis exemplari, et exemplato, est propria in exemplato, et impropria in exemplari; quæ universaliter est vera; et ratio a priori est, quia exemplatum dicitur tale, quia unitur exemplar, et participat ejus perfectionem; ergo si nostra prædestinatio est exemplata a prædestinatione Christi, et nostra præ-



destinatio est propria, etiam prædestinatio Christi est propria.

XXVI. Si dicatur, quod prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, secundum quod Christus prædestinatur ad gratiam, et gloriam, ad quam nos prædestinamur, non vero secundum quod prædestinatur Filius Dei

XXVII. Contra, quia S. Thomas expresse hic art. III inquit: « Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, primo quidem quantum ad bonum ad quod prædestinamur; ipse enim est prædestinatus ad hoc quod esset Filius Dei naturalis, nos autem prædestinamur ad filiationem adoptivam, quæ est quædam participata similitudo; » et ad tertium et in III, dist. X, quæst. III, quæstiuncula II, in corpore supra citata idem habet. Et ratio est clara, quia gratia, et gloria nostra est ejusdem speciei atomæ cum gratia, et gloria Christi quoad substantiam, et sic propter hoc non potest esse una exemplar, et alia exemplata, nec prædestinatio prout terminata ad illas, quia ut habet S. Thomas in quæstiuncula proxime citata ratio specifica prædestinationis sumitur penes terminum, et ideo ponit in Christo unionem ad personam tamquam terminum, et in nobis gratiam habitualementem.

XXVIII. Si vero dicatur, illud principium non esse universaliter verum, scilicet, quod ratio, quæ est propria in exemplato, debet esse propria in exemplari, quia idea de domo, quæ est in mente artificis, imo in mente divina (et idem est de multis aliis creaturis) non habet proprie rationem domus, et est exemplar domus positæ a parte rei, quæ est exemplata, et proprie domus

XXIX. Contra, quia ratio domus non invenitur in mente humana, vel divina, sed solum a parte rei,

et principium ut positum est, scilicet de rationibus, vel de prædicatis, quæ vere, et formaliter sunt in exemplari, et in exemplato, nullam habet instantiam, et hujusmodi est ratio prædestinationis, quia prædestinatio Christi (ut etiam concedit Lorca) est vere prædestinatio, et negat quod sit propria; et convincitur quod sit propria, quia est exemplar prædestinationis propriæ, hæc enim est sicut perfectiones simpliciter simplices, quæ magis proprie sunt in Deo, quam in nobis propter hanc rationem, et non est simile de aliis, quæ solum sunt eminenter.

XXX. Confirmatur exemplo S. Thomæ verbis proxime allatis: Filiatio adoptiva nostra est quædam participata similitudo prædestinationis naturalis Christi, et ideo si nostra filiatio adoptiva est propria filiatio, magis propria est filiatio Christi naturalis; ergo similiter si prædestinatio nostra est exemplata, et participata a prædestinatione Christi, et nostra est propria, magis propria debet esse prædestinatio Christi. Patet consequentia, tum a paritate, quia penes filiationes istas assignat S. Thomas differentiam inter istas prædestinationes; tum propter eandem rationem, scilicet propter istam causalem: Quia filiatio adoptiva est participata similitudo filiationis naturalis, quia etiam prædestinatio nostra in quantum exemplata est participata similitudo prædestinationis Christi.

XXXI. Secundo, principaliter probatur: Quando est aliqua ratio communis analogice ad duo extrema, non potest esse propria in analogato minus principali, et propria in analogato principali, hoc enim est contra naturam analogiæ in quacumque specie; sed ratio prædestinationis est analogica ad prædestinationem Christi, et nostram; ergo si

nostra prædestinatio est propria, implicat quod prædestinatio Christi non sit propria. Major supponitur, minor est S. Thomæ in III, distinct. X, quæst. III, quæstiuncula II, in fine corporis, ubi inquit: « Et ideo prædestinatio Christi, et nostra, non est unius rationis secundum univocationem, sed secundum analogiam. »

XXXII. Et quamvis aliqui moderni dicant solum differre specie, tamen S. Thomas negat univocationem in his verbis, et rationem assignat, quia unio ad Deum per gratiam, et operationem, et unio in persona, non sunt ejusdem rationis, sed se habent secundum prius et posterius, et perfectum et diminutum: et secundum istas uniones præmiserat differentiam inter istas prædestinationes, et cum una unio sit substantialis, et alia accidentalis per habitum gratiæ, convenientia solum potest esse analogica, quia substantia, et accidens formaliter talis non possunt univoce convenire. Consequentia vero probatur, quia nullus negavit analogatum magis principale esse prædestinationem Christi, nostram vero minus principale, si quidem ista est exemplata ab illa.

XXXIII. Tertio, prædestinatio est actus intellectus; ergo non petit distinctionem realem inter extrema. Patet consequentia, quia multi actus interiores animæ possunt versari circa idem in re, distinctum tamen per rationem (de quo sunt plura exempla adducenda articulo sequenti) et ideo S. Thomas in III, distinct. VII, quæst. III, artic. I, in argumento V, et in solutione ejus admittit hanc propositionem; sed inter Verbum, et unitum naturæ humanæ, et ut Filius Dei est sufficiens fundamentum ad distinctionem rationis; ergo est sufficiens capacitas ad veram prædestinationem. Probatur minor, quia ut terminat naturam humanam

potest distingui illa ratio terminandi.

XXXIV. Confirmatur: Si esset distinctio realis inter terminum, et subjectum prædestinationis Christi, sicut et nostræ, non esset diversæ rationis a nostra formaliter, saltem sicut S. Thomas colligit rationem prædestinationis ex termino; ergo.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXV. Primo objicit Lorca hic membro III, numero XXVI S. Thomam dicentem, quod prædestinatum est Christum esse Filium Dei, quia in tempore factum est, ut Filius Dei esset homo, et homo Filius Dei, respondetur, quod ex hoc non sequitur, quod S. Thomas non ponat prædestinationem Christi ad filiationem, quia illa causalis est necessaria, etiam ad hanc prædestinationem, ut dictum est in probatione conclusionis ex S. Thoma.

XXXVI. Secundo, objicit membro II et XIII, numero XXVII: S. Thomas supra quæst. XVI, articulo VII docet, quod hæc propositio: Homo factus est Deus, vel: Filius Dei, in sensu improprio est vera; et similiter ista est vera in sensu improprio: Homo prædestinatus est Filius Dei, sed S. Thomas ibi inquit, quod ista: Homo factus est Filius Dei, est falsa in sensu proprio; ergo etiam ista erit falsa in sensu proprio: Christus, vel homo prædestinatus est Filius Dei.

XXXVII. Respondetur ad majorem transeat totum, quia de sensu improprio non est inconvenientia. Ad minorem concedimus illam, sicut diximus in illo articulo VII citato, et negatur consequentia. Ratio disparitatis est S. Thomæ hic art. I ad tertium, et in III, distinct. VII, quæst. III, artic. I ad primum. Utrobique enim posuit hoc argumentum, et



solvit eadem solutione, scilicet : « Licet hoc participium prædestinatus importet antecessorem, sicut hoc participium factus, aliter tamen et aliter, nam fieri pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est, prædestinari autem pertinet ad aliquem secundum quod est in apprehensione alicujus. » Ex quo infert : « Ideo magis est hæc vera : Christus est prædestinatus Filius Dei, quam ista : Christus est factus Filius Dei, » ubi ly magis forsan ponitur a S. Thoma, quia in aliquo sensu improprio est aequaliter vera illa : Christus factus est Filius Dei, et sic explicat Cajetanus. Tamen in tertio absolute dixit, quod est falsa, sicut dixit etiam quæst. xvi, art. vii, simpliciter loquendo.

XXXVIII. Contra : Actio intellectus divini terminatur ad rem prout est in se, non minus certe quam factio ipsa ; ergo id quod fit a parte rei prout sic cognoscitur ab intellectu divino ; ergo sicut factio terminatur ad rem prout est in se, etiam actio intellectus divini.

XXXIX. Respondetur, quod cognoscendo sic cognoscit res intellectus divinus prout sunt in se, sicut factio facit illas prout sunt in se, sed est differentia, quod factio, neque appellat, neque præscindit rationes formales, et ideo fertur ad totum suppositum, et ideo est falsa illa propositio, quia falsum est, quod suppositum fiat Filius Dei : apprehensio vero in eodem supposito cognoscit aliquid, vel aliquam rationem formalem, scilicet, esse subsistens in natura humana, ratione cujus prout sic potest prædestinari, quia ut sic subsistens in humana natura non semper fuit Filius Dei, et hoc potest incipere esse ex vi prædestinationis, ut inquit S. Thomas hic art. i ad tertium.

XL. Contra : Prædestinatio est de illo, quod fiendum est in tempore, quia

si prædestinatur, et non sit, fallitur prædestinatio ; sed prædestinatur Christus esse Filius Dei ab æterno ; ergo in tempore Christus fit Filius Dei. Patet consequentia ex majori, quod prædestinatur ab æterno in aliquo tempore fit ; ergo si ab æterno prædestinatur Christus esse Filius Dei, fit Filius Dei, vel frustratur prædestinatio.

XLI. Respondetur, quod hanc replicam posuit hic S. Thomas artic. ii, argumento i et iii, et respondetur ex ejus doctrina ad primum, quod hæc propositio : Christus prædestinatus est esse Filius Dei, duplicem sensum potest facere. Primus est, quod prædestinatur : secundus, quod Christus fiat Filius Dei, ita quod ipsa factio sit prædestinata, et hoc modo bene probat argumentum, quia si esset prædestinatum sic, sic deberet fieri ; tamen non est sic prædestinatum, sed in secundo sensu, scilicet, quod prædestinatio cadat supra hoc quod est, Christum esse Filium Dei, non per factionem intercedentem inter Christum, et Filium Dei, sed per unionem Personæ humanitati, ut suppositum ejus, et ideo hoc debet a parte rei poni sine factione, ne frustretur prædestinatio, quia sic prædestinatum est.

XLII. Contra, quia hæc est falsa : Deus est factus Filius Dei, etiam ista est falsa : Deus est prædestinatus Filius Dei, et si illa esset vera, etiam ista, etiam ex vi causalis, hoc est, qui illa est vera, etiam ista ; ergo si hæc est falsa : Christus est factus Filius Dei, etiam ista erit falsa : Christus est prædestinatus Filius Dei. Patet consequentia a paritate, ex vi causalis est eadem ratio.

XLIII. Confirmatur : Nulla est prædestinatio, quæ non involvat factionem, sive præsuppositive formaliter, sive virtualiter, verbi gratia, si prædestinatur homo ad gloriam, præsupponitur factio hominis formaliter

si prædestinatur Christus, præsupponitur factio Christi saltem virtualiter ; ergo si negatur factio, non potest affirmari prædestinatio.

XLIV. Respondetur, quod in hac replica est æquivocatio, sicut in præcedentibus propter differentiam inter ista duo participia factus, et prædestinatus, quia factus ut habet S. Thomas supra quæst. xvi, art. vii, et ibi diximus, ponit mutationem in prædicato propositionis, et ideo hæc : Deus factus est homo, est vera, quia factio denotat in prædicato mutationem : et propter eandem rationem est falsa hæc : Homo factus est Deus. At vero prædestinatus non ponit mutationem, vel temporalitatem, vel inferioritatem necessario in prædicato propositionis, sed vel in prædicato, vel in subjecto, vel in utroque. In utroque sicut in hac : Homo prædestinatus est ad gloriam : In prædicato sicut in hac : Filius Dei est prædestinatus esse homo : In subjecto, sicut in hac : Hic homo, seu Christus prædestinatus est Filius Dei ; omnes istæ sunt veræ. Quando tamen ponitur ex parte prædicati propositionis mutabilitas, prædestinatio accipit illud prædicatum tamquam subjectum prædestinationis, propter quod est vera illa : Filius Dei prædestinatus est homo. Si autem poneretur, quod subjectum prædestinationis esset solum subjectum propositionis, scilicet, solum ly Filius, et non prædicatum, scilicet homo, esset falsa, ut dictum est articulo præcedenti conclusione prima, et ad tertium.

XLV. Patet ergo differentia, quod factus ponit mutationem in prædicato propositionis, comparative tamen ad suppositum subjecti ; prædestinatus vero non ponit, nisi vel in subjecto, vel in prædicato : unde quotiescumque ponitur mutabilitas sufficiens ad verificandum participium factus, a fortiori ponitur muta-

bilis requisita ad participium prædestinatus ; non tamen e contra, quoties ponitur mutabilitas sufficiens ad participium prædestinatus, ponitur mutabilitas requisita ad participium factus, quia prædestinatus ex parte subjecti ratione formalis, vel prædicati, ponit temporalitatem, quia supra utrumque potest ferri actus prædestinandi tamquam supra subjectum prædestinatum : factus vero ponit mutabilitatem comparative non ad formale subjecti, sed ad materiale. Ex quo patet, quod ex factione sequitur capacitas prædestinationis semper ; ex prædestinatione vero non sequitur capacitas factionis semper, quia quando verificatur prædestinatus propter temporalitatem subjecti ratione formalis solum, non attingendo mutabilitatem prædicati propositionis, si ponatur factus, falsificabitur, quia factus exigit mutabilitatem prædicati.

XLVI. Ex quo patet ad argumentum, quod licet in sensu absoluto istæ ambæ sint falsæ : Deus est factus Filius naturalis Dei, et hæc : Deus est prædestinatus Filius naturalis Dei, tamen non propter causalem, scilicet, quia prima est falsa, secunda est falsa, sed quia in utraque tam in subjecto, quam in prædicato est incapacitas tam ad factionem, quam ad prædestinationem, et ideo negandum est illud, quia illa est falsa, hæc erit falsa propter causalem, sed causalis est, quia nulla temporalitas, vel inferioritas requisita ad prædestinationem ponitur ex parte subjecti, vel prædicati. E contra vero istæ duæ : Deus est factus Filius Dei, et Deus est prædestinatus Filius Dei ; si prima esset vera, etiam secunda vera esset, non solum in sensu absoluto, sed etiam in sensu causali, quia factio ponit a fortiori mutabilitatem sufficientem ad prædestinationem.